VETUS TESTAMENTUM

Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh. Seite 163r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



et filijs ammon, et philistim,
et amalech, et de mambus ad
adezer filij roob regis soba
Fecit quoque dauid sibi nomen cum
reuerteretur capta syria, in val-
le salinarum, cesis xij milibus
et in gebelem ad xx^ti tria
milia, et posuit in ydumea
custodes statuitque presidium,
Et facta est vniuersa ydumea
seruiens dauid, Et seruauit
dominus dauid ad quecumque pro
fectus est. Et regnauit da-
uid super omnem israel, Faciebat
quoque dauid iudicium, et iusticiam
omni populo suo, Ioab autem filius
sarnie erat super exercitum
Porro iosaphat filius ahilud
preerat a commentarijs et sadoch
filius achitob, et achiozelech
filius abiathar, erant sacerdo-
tes, et sarasias scriba, et
banaias autem filius ionade super
cerethi et phelethi, fili autem
dauid sacerdotes erant.

Et dixit dauid, Pu-
tas ne est aliquis
qui remanserit de
domo saul, vt faciam cum eo
misericordiam propter ionathan,
Erat autem de domo saul seruus
nomine siba, Quem cum vocasset
rex ad se dixit ei, Tu es ne
siba, Et ille respondit, Ego sum
seruus tuus, Et ait rex, Num
super est aliquis de domo saul,
vt faciam cum eo misericordiam dei,
Dixitque siba regi, Super est
filius ionathe debilis pedibus,
Vbi inquit est, Et siba ad re-
gem, Ecce ait in domo est
machir, filij amihel in lodo-
bar, Misit ergo rex dauid
et tulit eum de domo machir
filij amihel de lodobar, Cum
autem venisset miphibosech
filius ionathan filij saul ad da-
uid corruit in faciem eius, et
adorauit, Dixitque dauid,
Miphibosech, Qui respondit,
Assum seruus tuus, Et ait ei
dauid, Ne timeas, quia faciens
faciam in te misericordiam, propter
ionathan patrem tuum, et resti-
tuam tibi omnes agros saul, et
tu comedes panem in mensa
mea semper, Qui adorans eum
ait, Quis ego sum seruus tuus,
quomodo respexisti super canem mor-
tuum similem michi, Vocauitque
rex sibam puerum saul et dixit
ei, Omnia quecumque fuerant saul,
et vniuersam domum eius dedi
filio domini tui, Operare igitur
ei terram tuam, et filij tui, et serui
tui, et inferes filio domini tui
cibos vt alatur, Miphibosech
autem filius domini tui comedat
semper panem super mensam meam,
Erant autem sibe xv filij et xx^ti
serui, Dixitque siba ad regem,
Sicut iussisti domine in seruo
tuo, sic faciet seruus tuus, et
miphibosech comedet panem
super mensam tuam, quasi vnus de
filijs regis, Habebat autem
miphibosech filium paruulum nomine
micha, Omnis vero cognatio
domus sibe seruiebat miphi-
bosech, Porro miphibosech
habitabat in ierusalem, quia de mensa
regis iugiter vescebatur, et
erat claudus vtroque pede.

Factum est autem, vt
moreretur rex filiorum
ammon, et regnaret